



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus De Executoribus Ultimarum Voluntatum duorum
celeberrimorum iurisconsultorum**

Canis, Johannes Jacobus

Constantia, 1593

VD16 ZV 2896

29. Executor ob dolum remotus, qua nota: quoq[ue] damno adficiatur: &
num. 30. 31. 32.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63406)

tionem suam remoueri possit? Et breuiter sine
 disputatione cōcludendum puto, quod sic: quia
 cū executor equiparetur ipsi tutori, vt dixi
 supra in 2. sicut ipse tutor potest remoueri
 tanquam suspectus: quia non ex fide gerit tu-
 telam: vt l. 3. §. consequens. ff. de execue. tut.
 sic & ipse commissarius, vel executor. Et ta-
 29 lis remotus † ob dolum, erit notatus infamia, se-
 cus si ob culpam, nisi reseruata sibi sit fama:
 vt instit. de suspect. tut. §. suspectus, cum simi.
 Et istud erit vnum de incommodis & damnis
 ipsius executoris.

30 † Secundum incommodum est, quod ipse
 perdit legatum, quod ei datur pro labore exe-
 cutionis: quod cessat labore cessante: vt l. nec
 adiecit.

31 Tertium est quod † tenebitur ad rationum
 redditionem ff pro soc. vt dixi supra in 2. par-
 te. quest. 2.

32 Quartum † incommodum & detrimen-
 tum est, quod ipse commissarius ad instar tu-
 toris tenebitur de neglecto, vt C. si tutor. non
 gesse.

Quero vltimò, quibus executoribus, vel

com-

commissarijs † sancti Marci procuratores as- 33
 simulantur, vtrum testamentarijs, an verò le-
 gitimis, seu datiujs? quæ quæstio noua est, &
 per doctores præscriptos non attentata, &
 ardua videtur existere, quia plerunq; in testa-
 menti ipsi pro executoribus deputantur, &
 sic videntur esse testamentarij.

† In contrarium verò apparet, quod sint 34
 legitimi: quia ex senatusconsultis & legibus
 Venetis furnitores vltimarum fiunt volun-
 tatum.

Inde verò, quod sint datiujs, practica com-
 munis ostendit: qua ex decreto suorum iudi-
 cum statuuntur alicuius vltimæ voluntatis
 executores ac commissarij: & consequenter
 pupillorum gubernatores. Ego hac in re pro
 veritate habenda sic distinguerem. † Quod si 35
 per vltimam voluntatem commissarij, vel
 executores relictj sunt, quod testamentarij ap-
 pellentur: seruareq; debebunt omnia, quæ de
 testamentarijs executoribus supra descripta
 sunt. Si verò in vltima voluntate nominatè
 vocatiq; non sunt, hi per leges patriæ vocati,
 ad perficiendum testatoris iudicium, legitimi